

Origenes ταχυγενῶς permisit suos excipere sermones, Eusebio teste L. VI. c. XXVI. Chrysostomi orationes, quae exstant, partim ab ipso editas, partim a notariis exceptas, auctor est Socrates, Lib. VI. H. E. c. IV. Atque inde haud dubie magnifici illi sunt tituli, in Tractatum, aut Homiliarum Inscriptionibus, uiris et Patribus aliquando dati, quos in semet ipsos, absque summo arrogantiae crimine, conferre haud potuissent. Et quis crederet, rem aliter se habere cum Homeri carminibus, quae, auctore, si historiae habenda est fides, Aristarcho, in unum uolumen collecta sunt. De libris Aristotelis, qui μετὰ τὰ Φυσικά inscribuntur, res clara est, et luculenta. Non enim illa inscriptio auctorem habet ipsum Aristotelem, sed Theophrastum, aut, quae aliorum est sententia, Andronicum.

IV. Res, ut ego arbitror, latis est nota, nec probatio ne opus habet. Adscribam tamen quaedam ex Poetis, qui tot nobis conseruarunt antiquitatis testimonia. Ouidius Lib. I. Trist. Eleg. I.

*Si quis erit, qui te, quod sis meus, esse legendum*

*Non putet, e gremio reiiciatque suo.*

*Inspice dic titulum: non sum paecepor amoris,*

*Quas meruit poenas iam dedit illud opus.*

Et de Ponto Lib. I. Eleg. I. ad Brutum, cui elegiam inscripsérat.

*Inuenies quamvis non sit miserabilis index*

*Non minus hoc illo triste quod ante dedi.*

In quibus ad libros alludit Tristium, quorum inscriptionem miserabilem non immerito nominat *Indicem*. Ceterum sciendum est, duos fuisse titulos. Vnus toti libro fuit praemissus, et nonnunquam ante apponebatur, quam ipsius libri elaborationem inciperet auctor. Cuius rei testimonium in Ouidio reperisse, mihi uideor qui Lib. I. de Remedio Amoris, Cupidinem, siue amoris DEVVM de libri conquerentem titulo inducit. Verba haec sunt.